

SESSION 2003

---

ÉPREUVE À OPTION

---

*L'usage de la calculatrice n'est pas autorisé*

VERSION LATINE

---

Durée : 4 heures

---

Sur les vertus qu'un éloge doit mettre en valeur

Perspicuum est igitur alia esse in homine optanda, alia laudanda. Genus, forma, uires, opes, diuitiae ceteraque, quae fortuna det aut extrinsecus aut corpori, non habent in se ueram laudem, quae deberi uirtuti uni putatur. Sed tamen, quod ipsa uirtus in earum rerum usu ac moderatione maxime cernitur, tractanda in laudationibus etiam haec sunt naturae et fortunae bona ; in quibus est summa laus : non extulisse se in potestate, non fuisse insolentem in pecunia, non se praetulisse aliis propter abundantiam fortunae, ut opes et copiae non superbiae uideantur ac lubidini, sed bonitati et moderationi facultatem et materiam dedisse. Virtus autem, quae est per se ipsa laudabilis et sine qua nihil laudari potest, tamen habet plures partes, quarum alia est alia ad laudationem aptior. Sunt enim aliae uirtutes, quae uidentur in moribus hominum et quadam comitate ac beneficentia positae ; aliae, quae in ingenii aliqua facultate aut animi magnitudine ac robore. Nam clementia, iustitia, benignitas, fides, fortitudo in periculis communibus iucunda est auditu in laudationibus (...). Sapientia et magnitudo animi, qua omnes res humanae tenues ac pro nihilo putantur (...) admirationis habet non minus, iucunditatis minus ; ipsos enim magis uidetur, quos laudamus, quam illos, apud quos laudamus, ornare ac tueri.

CICERON

Tournez la page S.V.P.